ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime, doctissimeque Hugeni,

interfui hic Nuptijs cognati tui D. Schonckij, in quibus
optaveram Vultu tuo et suavissimo frui alloquio. Sed
invidit nobis felicitatem istam febricula, quae te afflixit,
et una per συμπάθειαν nos. Non debebas mori, Vir
summe, qui amicis magis tuis vivis, quam tibi. Et tamen
debebas aliquando mori, ne semper hic nobiscum miser sis.
Verum haec θεῶν ἐν γούνασι. à quo ardentibus precibus
peto, uti valetudinem pristinam tibi, te vero patriae,
Principi nobisque integrum vegetumque restituat. Mitto
per amicos exemplar unum atque alterum, poematis, quod scripsi
in Ducatum Limburgicum. Berkam captam submittam.
Persto in proposito, Victorias Illustrissimi Principis exsequendi
κατὰ πόδα. Nuptiae hic ex voto successere. Illae
si fercula spectes opiparae fuerunt, si convivas
epicurei geniales, si citharoedos plane coelestes, si
spumantes pateras, uberrimae, si sponsum laetissimae
si sponsam minime tristes, si me, non sine epi-
grammate, quod vides. Utinam carmini meo
febriculam afflictu de corpore deducere possem, uti ille
ab inferis Eurydicen reduxit. Vale Vir
summe et Seculi nostri decus. Haec raptim
festinantibus Hagam amicis tuis. Salvere à
me uxor. Si indicium istud meum de statu pacis
et belli vidisti, scito illud me inscio excusum esse.
Non debebam privatas amicorum literas inconsultis
autoribus in lucem edi. Valde me haec res offendit.
Ego D. Puteano amicissimus sum, nec cupiam illum meo
indicio gravari.

Lugd. Bat. XXIII Jul. 1633.

Tui [illegible] cultor
summus

Caspar Barlaeus

Velim per famulum exemplar
mitti D. Mylio, quod ex
inscriptione cognosces.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 57
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/805

Nobilissimo, praestantissimo,
clarissimoq. Viro
D. Constantino Hugenio,
Equiti, Dno in Zulichem,
Illustrissimo Principi à
Secretis

Hagam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 57
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/805